

FLAVI VEGETI REN. V. ILL. DE RE MILITARI LIBRI QUATUOR per Aphorismos in Epitomen redacti.

Christianus Rise. ao 1697. 2. Julii.

Veget. lib. 3. cap. 10.

Apud veteres res militaris in oblivionem sæpius venit, sed â libris repetita est, postea Ducum autoritate firmata.



STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII, Anno 1635.

MULTUM ILLUSTRI ET PRÆCELSO DN. DN. STENONI BIELKIO

BARONI IN CRAKERUM, SERENISS. ET INVICTISSIMÆ DN. DN. CHRISTINÆ, GUST. ADOLFI MAGN. FIL. ELECTÆ SUECORUM REGINÆ EJUSDEMQUE REGNORUM SUECIÆ AD CELSISS. POMERANIÆ PRINCIPEM CUM PLENA POTESTATE LEGATO ET STATUI IBIDEM BELLICO PRÆFECTO GENERALI.

DNO. meo Clementi & Gratiosissimo.

DN. Clemens & gratiosissime.



Um militiam veterum præcipue autē Flavij Vegetij de arte belli monita, quæ collecta carptim & futuro usui recondita habebam, Mars propinquus, & subtanea hæc tempe- Subita-
stas mihi in animum revocaret, nea.
eademq; recolere, & cum fonte, unde derivata erant conferre cœpissem, conjeci alijs quoq;, sicut

eum ipſum â quo genus ducunt, illa nec lectu injucunda & ſcitu grata fore. Quapropter priori ſtudio memorati autoris ea omnia adjungenda duxi, quæ vel ad cognoſcendam Romanorum, vel ad illuſtrandam modernam in bello diſciplinam cõducere arbitrabar: idemq; quam poteram breviſſimè, ut tenuiſſimo volumine parvum quendã Vegetiũ formarem, atq; opus omne compendio complecterer. Quâ in re cum mente ambiguus eſſem, quo ordine mihi incedendum foret, tandem nõ tam capita autoris, quàm materias ſecutus, eas in Aphoriſmos, libros autem quatuor in unum ſub Epitomes nomine conſtrinxi. Quamvis autem in hujusmodi Epito-

pitomâ ſententijsq; cõcinnandis labor meus tantus non fuerit, ut ſolidę aliquid laudis inde me adepturum ſperem, inſtiti nihilominus, quicquid etiam hoc ſit operæ, & publici id juris facere, & typis excudi, iſtud quidẽ hiſce temporibus lubentius, ne Martius hoſtiũ furor omne nobis otium extorſiſſe videretur. Accedebat eò, cum illi qui lucubrationibus ſuis, cõtra invidos malignorum morſus, vitam exoptant, potentiorũ ambire ſoleant patrocinia, â Clementia autem Tuâ in clientelam ego jamdiu aſſumtus ſim, ut Illa quales quales operas, ipſumq; hunc noſtrum abortum jure ſuo ſibi vindicet; quod Clem. T^æ^ id deputabam, quam inter bellica &

 tot

tot curarum molestiarumq; prægnātissima negocia, ad ingenuam simplicissimi muneris oblationē, frontem sperabam exporrectum ire. Impræsentiarum igitur Clem. Tæ illum quem dixi Vegetium, offero, atq; in humile grati, devoti & propensi animi monumentum consecro dicoq;, non quod Clem. Tm. vel omnigenâ rerum humanarum scientia abundare ignorem, vel vulgaribus hisce institutis putem indigere, sed quod benignitatis Ejusdem in suos, in cæteros humanitatis, aliarumq; plurimarum & verè Heroicarum virtutum instructus fiducia, ea etiam quæ Ipsi obtrudun-tur studia non aversari, pro certo habeam. Cum etiam me non late-

at,

æ, quam gravi censuræ, quantoq; judicio debilem istum mei qualiscunq; ingenij conatum subijciam, tum satis superq; secundum vota mihi evenisse censebo, si opellam hanc Clem. Tæ. arrisisse sensero: sin dignitas ista defuerit, Clem. autem Tua ad cumulum priorum in me maximorumq; beneficiorum hoc quoq; adjecerit, ut exile licet munusculum benigno nihilominus & sereno vultu accipere dignetur, tum æterna spe fruar, ex numero humilium deditissimorumq; Ipsius clientium me nunquam deperiturum. Quod superest Deum Ter Opt. Max. ut Clem. Tm. Regnis patrijs, nobis bonisq; omnibus quamdiu incolumen servet,

ſupplici voce oro. Sedini III. Cal. Octob. A. O. R. M.DC.XXXV.

Clem. T[a].

humilis & devotus
cliens.

HIOBUS TREDERUS
Sedinenſis.



FLA-

FLAVI VEGETI REN. V. ILL. De re militari libri quatuor, per Aphorismos in Epitomen redacti.

RES militaris in tres dividitur partes: Equites, Pedites, Classes. Equitibus campi, classibus maria & flumina, peditibus colles, urbes, naves, plana & abrupta servantur. Ex quo intelligitur magis Reip. necessarios pedites, qui possunt ubiq; prodesse.

Classe verò licet non semper Princeps indigeat, pro decore tamen & utilitate magnitudinis suæ, ne quando necessitatem sustinere cogatur, semper aliquam præparatam habeat. Nemo enim bello lacessere, aut facere audet injuriam ei regno, vel populo, quem expeditum & promptum ad resistendum, vindicandumque cognoscit.

Tempore Valentiniani II. cui autor hoc opus sacravit, puncturis in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti jurare solebant per Deum, & per Christum, & per Spiritum Sanctum, & per Majestatem Impera-

peratoris, omnia se strenuè facturos quæ præceperit Imperator, nunquam desertuRos militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ Rep.

Deo vel privatus, vel militans servit, cum fideliter diligit eum, qui regnat Deo autore.

In hoc totius Reip. salus vertitur, ut tyrones non tantum corporibus, sed etiã animis præstantissimi legantur. Honestas namq; idoneum militem reddit, & verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorem.

Corporis si dotes quæris, adolescens Martio operi deputandus vigilantibus sit oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superfluâ carne distentis, sed nervorum duritiâ collectis. Cum hæc in tyrone signa deprehenderis, proceritatem non magnopere desideres. Utilius est enim fortes milites esse quàm grandes.

In omnibus locis & ignavi, & strenui nascuntur: pleriq; etiam quamvis non improbabiles videantur in specie, tamen experimentis comprobantur indigni.

Apti-

Aptior armis rustica plebs, quia sub divo & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tollerantiam membris: isti gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est.

Si necessitas exigit etiam urbanos ad arma compelli, ad hujus similitudinem formandi sunt, & â civilibus illecebris procul habendi. Minus enim mortem metuit, qui minus deliciarum novit in vitâ.

Nihil neq; firmius, neq; felicius, neq; laudabilius est Rep. in quâ abundant milites eruditi. Nihil vero est quod non assidua meditatio facillimum reddat, & quidvis efficit solertia, si competentes non denegentur expensæ. Diligenter autem & negligenter exercitus ordinatus easdem expensas facit. Cum etiam nusquam locorũ Martius in hominibus calor degeneraverit, vilius Principi cõstabit erudire armis suos, quàm alienos mercede conducere.

Attamen nec parva, aut levis ars videtur armorum, sive equitem, sive peditem sclopetarium velis instruere, sive hastatũ numeros omnes, omnesq; gestus docere, ne

locũ

locum deserat, ne ordines turbet, ut globos non in cassum mittat, plagam prudenter vitet, audacter inferat, ut fossam ducere, & sudes scienter figere norit: tum omnia ista sciat, quæ de officio militum locis competentibus inseremus.

Benè instituto militi pugnare adversus quoslibet hostes in acie, formido non est, sed voluptas. Scientia namq; rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam, & nemo facere metuit, quod se benè didicisse cõfidit.

Semper ergo legendi & exercendi juniores sunt: Nam diligenter lecti & exercitati quotidie, non solùm manè, sed etiam post meridiem omni armorum disciplinâ, vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facilè coæquabunt.

Primùm autem ut in acie dispositos ordines servent, assiduo exercitio tyrones assuefaciendi sunt: ne vel ultra, quam expedit, constipati perdant pugnandi spacia, vel rariores atq; interlucentes aditum perrumpendi hostibus præstent: sed ad vocem Ducis, sive ille simplicem extendere aciem, vel eam duplicare, invertere, restituereve jusserit, præsto sint, ita ut in ipso impetu, is ad quem respondere solent, ordo servetur.

Ca-

Cataphractæ & galeæ pedeſtribus etiam reddendæ copijs: neceſſe eſt enim ut dimicandi acriorem ſumat audaciam, qui munito capite, vel pectore non timet vulnus. Si verò milites laborem in portandis veteribus armorum munimentis declinant, & vulnera ſuſtinere coguntur & mortes, & quod gravius eſt, aut capi, aut certè fugâ Remp. prodere.

Artem Sclopeta minora tractandi, & haſtis utendi ſecundum terminos militares & diſci opus eſt diligenter & quotidiano uſu exercitioq; ſervari.

Uſus autem ſclopeti his ferè terminis continetur, quos animi gratiâ hîc annectere volui.

Expedimini.
Reſtim in ſchœniucbum.
Applicate maxillæ.
Exigite reſtim ad acetabulum.
Ejaculamini.
Deflate reſtim.
Aperite acetabula.
Pulverem acetabulis indite.
Excutite acetabula.
Aperite capſulas.
Pulverem in tubos fundite.
Furculas ponè trabite.

Edu-

Educite bacillos.
Stipate pulverem.
Sclopeta ad furculas, ut in manus ſiniſtræ ſint æquilibrio.
Sclopeta in humeros.
Tubos ſurſum.

Haſta quantum ad belli uſum, paucioribus perficitur: aut enim elevata geſtatur, aut trahitur, aut ad pugnam dirigitur, aut humeris rurſus excipitur, & non tâm arte, quàm fortitudine & viribus expeditur. Reliquis, quæ per luſum haſtâ perpetrantur, miles absq; dedecore carebit.

Tyrones, qui in hiſce proluſionibus belli, alijsq; armorum exercitijs parum proficiunt, annonâ defraudentur. Apud Romanos pro tritico illis hordeum dabatur. Sic matres quoq; Balearium, qui fundarũ autores perhibentur, parvos filios nullum cibum contingere ſinebant, niſi quẽ ex fundâ deſtinato lapide percuſſiſſent.

Romani armorum doctores tyrones ſuos dupli ponderis armis ad palum in terram defixum, & ſex pedes eminentem exercebant: præterea non cæſim, ſed punctim ferire docebant. Cum cæſa non frequenter interficiat, puncta autem duas pedis duodecimas, ſeu duas ~~unicas~~ uncias adacta, mortalis ſit.

Por-

Porrò ambulare celeriter juniores & æqualiter diſcant: quod hodiè fit compoſito ad tympani modos gradu, ita ut ſiniſtro pede incipiatur, ſiſtatur dextro. Ad curſum deinde aſſuefaciendi ſunt, ut majore impetu in hoſtem procurrant. Ad ſaltum verò, ut ſi foſſarum, vel altitudinis cujuſdam difficultates eveniunt, poſſint ſine labore tranſire. Pondus etiam bajulare uſq; ad 60. libras, & iter facere gradu militari frequenter cogendi ſunt juniores. Militari autem gradu 20000. paſſuũ horis quinq; æſtivis conficiuntur: pleno gradu, qui citatior eſt, totidem horis 24000. peraguntur.

Natandi uſum æſtivis menſibus omnis æqualiter debet tyro condiſcere. Sic juventuti Romanæ campus Martius attributus erat Tyberi vicinus, ut in illo campeſtrem ſudorem pulveremq; dilueret, ac laſſitudinem curſus natandi labore deponeret. Non ſolum autem pedites, ſed equites, ipſoſq; equos, vel lixas, (quos galearios vocant) ad natandum exercere percommodum eſt, ne quid imperitis cum neceſſitas incumbit, eveniat.

Similiter caſtrorum munitionem debet tyro condiſcere. Si enim hujus rei ſcientia inter-

interciderit, non ſolum conſidentes ſine caſtris exercitus repentino hoſtium adventu affligi neceſſe eſt: verum etiam ſi in acie caſu aliquo cœperint cedere, & munimenta caſtrorum, quo ſe recipiant, non habuerint, more animalium inulti cadent.

In quibusdam notarum peritia, calculandi, computandiq; uſus exigitur. Apud Romanos enim totius legionis rationes ipſi milites expediebant, adeò ut nomina etiam eorum qui vices ſuas feciſſent brevibus inſererentur: ne videlicet aliquis cõtra juſtitiam prægravaretur, aut perperam præſtaretur immunitas: in brevibus etiam quando quis commeatum accepiſſet, vel quot dierum annotaretur. Difficillimè autem commeatus dabatur, niſi cauſis juſtiſſimis approbatis.

Peritia autem literarum inſtructi milites, facilius ad ſigniferi ordinem emergebant. Sub curâ namq; ſigniferorum decem illi erant folles ſeu ſacci pro numero cohortium inſtituti, in quibus condebantur militum donativa, quorum dimidia pars apud ſigna ſequeſtrabatur, cùm ne per luxuriam omnis hæc pecunia à contubernalibus poſſet abſumi, tùm ut minus de deſerendo cogitarent, magisq; ſigna diligerent

rent,ac pro illis in acie fortius dimicarent. Cum iſte ſit mos humani ingenij, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam. Et ideo ſigniferi non ſolum fideles, ſed etiam literati homines deligebantur, qui & ſervare depoſita, & ſcirent ſingulis reddere rationem.

Nota autem, quod decem dictis follibus etiam undecimus addebatur, in quem tota legio particulam aliquam conferebat ſepulturæ cauſa, ut ſi quis ex contubernalibus defeciſſet, de illo undecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promeretur expenſa.

Equites Romanorum tyrones ad aſcendendos equos ſuper equis ligneis exercebantur; cujus rei hodiè ludicra quædam imago manſit.

Non ſolum autem juniores, verum veteres etiam & eruditi exercendi ſunt. Neq; enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio. Poſt quanta volueris ſtipendia inexercitatus miles ſemper eſt tyro: pro tyronibusq; habendi ſunt, qui longo tempore non pugnaverunt.

Hanc ob cauſam Romani Imperatores, qui in otio id fieri volebant, quod neceſ-

ſario faciendum videbatur in prœlio, ſine intermiſſione armis ſemel in die militem defatigabant. Tempore quidem hyemis, de tegulis vel ſcandulis, quæ ſi deeſſent, certè de cannis, ulvâ vel culmo, & porticus ad equites tegi curabant, & quasdam velut baſilicas ad pedites, in quibus tempeſtate vel ventis aëre turbato, ſub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem etiam hybernis diebus, ſi nives tantum pluviæq; ceſſabant, exerceri cogebantur in campo, ne intermiſſa conſuetudo & animos militum debilitaret & corpora.

Simili ratione D. Auguſtus primùm, poſt Trajanus ſanxere, ut milites ter in menſe armati inſtructiq; omnibus telis tam per campos, quam per ardua loca ad 10000. paſſuum ambulatum educerentur. Ibi pleno, militariq; gradu incedere, currere etiam armatis cum ſarcinis ſuis neceſſe erat: Equites autem non ſolum in planis, ſed etiam abruptis, & foſſarum hiatu difficillimis ſemitis, ſe & equos ſuos exercere debebant, ut quotidiani laboris uſus non difficilis videretur in bello, & nulla res vel caſus pugnātibus poſſet accidere, quem non antè aſſiduâ exercitatione didiciſſent.

Cum

Cum per gratiam promoventur milites, qui promoveri consueverunt per laborem, nec in locum decedentium turba juniorum succedit, robur exercitus infringi, & quamvis magnas copias exhauriri necesse est.

Milites vel sunt principales, qui privilegijs muniuntur: ut sunt Tesserarij, qui tesseram per contubernia militum nunciant: quibus respondent illi, qui Gallicè dicuntur *Sergeans*. Beneficiarij qui promoventur beneficio tribunorum: *Les Appointez*: Capita contuberniorũ sive, *les Caporaux*. Item illi, qui primos ante ordines duxerunt, sed militibus jam destituti, in spem ulterioris promotionis signa sequuntur, Gallis *les Reformez*. & plures apud veteres, quemadmodum lib. 2. cap. 7. illi ab autore nostro referuntur.

Vel sunt munifices, qui munia facere coguntur: His junguntur Accensi i. e. postea adsciti, quàm fuisset legio completa, supernumerarij posteriore seculo dicti. Hi ad obsequia Judicum, Tribunorum aliorumq; principalium deputabantur: reliquis militibus privata negocia demandari fas non erat. Siquidem incongruum videbatur, militem Principis, qui veste &

annonâ publicâ paſcitur, utilitatibus vacare privatis. Faſcicularia tamen i. e. lignum, fœnum, ſtramen, aquam etiam legitimi milites in caſtra portabant.

Phalanx Græcorum 8000. armatorum conſtabat: Legio Romanorum, ut Gallorum etiam Celtiberorumq; catervæ habebant 6000.

In legione decem erant cohortes: prima Miliaria dicebatur, habebat pedites 1105. equites loricatos 132. & ſuſcipiebat aquilam totius legionis inſigne. In hanc cenſu, genere, literis, formâ, virtute pollentes milites mittebantur, ac regebatur â quinq; ordinarijs, Centurione nempe primipili, Primo haſtato, Principe, Secundo haſtato & Triario priori: quibus magnæ utilitates & magnus honor eſt â veteribus conſtitutus ut cæteri milites ex totâ legione omni labore & devotione contenderent ad tanta præmia pervenire. Reliquæ cohortes habebant 555. pedites, equites 66. & ſingulæ â quinq; Centurionibus regebantur. Erant igitur in totâ legione Centuriones 55. Centuria autem ſingula iterum in denos milites ſeu manipulos dividebatur, quibus præerat Decanus, poſtea Caput contubernij appellatus.

Pedi-

Pedites vel gravis erant, vel levis armaturæ. Gravis armaturæ pedites habebant caſſides, cataphractas, ocreas, ſcuta, gladios majores ſeu ſpathas: item minores ſeu ſemiſpathas, plumbatas quinas poſitas in ſcutis, quas primo impetu jaciebant. Bina etiam miſſilia, unum majus ferro triangulo unciarum novem, haſtili pedũ quinq; & ſemis, qvod pilum priſci, recentiores ſpiculum dixere: aliud minus ferro triangulo unciarum 5. haſtili trium pedum & ſemis, quod prius verriculi, poſt veruti nomen habuit. Hujus generis erant Principales, Triarij etiam omnes & anteſignani. Signiferi verò dictæ jam armaturæ etiam loricas addebant, & galeas ad terrorem hoſtium urſinis pellibus integebant.

Levis armaturæ ſcutati ſaltem erant gladijs & miſſilibus accincti: inter illos ferentarij, ſagittarij & funditores recenſebãtur. Hi adverſariũ in acie ad pugnam provocabant, ſi hoſtes fugare poterant ſequebantur, ſi eorum virtute premebantur ad ſuos ſe recipiebant, & poſt eos ſtabant. Tum excipiebat proelium gravis armatura, quæ tanquam ferreus murus ſtabat: ſi hoſtes fugaſſet non ſequebatur, ne aciem ordinemq; ſuum turbaret, ſed levis armatura

cum equitibus ſequebatur inimicos. Quia jus legionis erat, facile nec fugere, nec ſequi.

Equites vel ſunt alarij, vel legionarij. Hi in turmas ſeu vexillationes dividebantur. Una turma habebat 32. equites, his præerat Decurio & ſub uno vexillo gubernabantur.

Legio autem ita explicabatur. Diviſa erat in tres acies, ante illas cornua legionariorum equitum ex utraq; parte erant poſita: dextra ſeu prima acies ex militibus fortiſſimis principalibus anteſignanisq;, qvi ante & circa ſignum legionis (quod fulgebat in hâc acie) dimicarent, conſtituebatur: media ſeu ſecunda acies haſtatis muniebatur: Siniſtram ſive tertiam aciem levis armatura obtinebat. Poſt ſingulas acies locabantur Triarij, qui genibus innixi eventum pugnæ exſpectabant: quam etiam ſæpe dubiam virtute ſuâ reſtituiſſe leguntur. Tum lateribus legionis jungebantur alæ ex copijs auxiliaribus, ut in his prœliandi magis adminiculum eſſet, quam principale ſubſidium. Cum enim moribus plerumq; & inſtitutis differrent, non eandem ſemper operam in bello navabant. Quia neceſſe eſt tardius ad victo-

riam

riam pervenire, qui nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt, sed discrepant antequam dimicent.

Signum, uti jam dixi, legionis totius erat aquila, unde aquilifer: Cohortis draco, unde draconarij sive signiferi: Centuriæ vexillum, in quo literis erat annotatum cujus cohortis, vel quota esset centuria. Eadem quoq; Centuriones in cristis galeæ, quæ illis, ut è reliquis dignoscerentur, erant transversæ, argento signata habebant. Singuli autem milites diversis cohortibus, diversa in scutis signa pingebant, præterea in adverso scuto uniuscujusq; militis nomen literis erat adscriptum, addito ex quâ cohorte ex quave esset centuriâ. Tantam nimirum veteres adhibebant diligentiam, ut confusio omnis in exercitu vitaretur.

Signa ista quæ recitavi autori muta dicuntur, velut etiam ignis, fumus ad aliquid indicandum excitatus, & hujus generis plura. Alia sunt semivocalia, ut tubæ, tibiæ, tympana. Quædam vocalia, ut tesseræ: quæ vel vigiliarum sunt, vel profectionis, vel pugnæ. Hæc signa in bello diligenter observanda sunt eorumq; monitis obtemperandum, nec in socordes ab-

stinendum vindicta. Siquidem nulla sit negligentiæ venia ubi de salute certatur.

In exercitu post Imperatorem primus locus erat Legato, cui postea Magister militum est substitutus. Ab illo integer exercitus, & non tantum una, binæve legiones, sed etiam plures numero gubernabantur.

Huic proximus erat Præfectus legionis, qui proprius quidem erat unius legionis judex, absente vero Legato tanquam vicarius ejus potestatem in exercitu maximam retinebat. Ipse ut custos diligens & sobrius legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem devotionem, ad omnem formabat industriam, sciens ad Præfecti laudem subjectorum redundare virtutem.

Post illum erat Præfectus castrorum. Ad hunc valli fossæ destinatio, castrorum & tabernaculorũ positio, ferramentorum etiam quæ huic usui deputantur vehiculorum & ægrorum cura pertinebat. Is post longam probatamq; militiam peritissimus omnium legebatur: ut rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.

Præfectus deinde fabrorum. Hic fabrorum opificumq; omnium qui exercitum cum fabricis suis sequebantur, ne ulla res neces-

necessaria in castris unquam deesset, item cunicularioru judex erat proprius.

Sequuntur Tribuni. Tribuni autem cohortibus præerant: primæ cohortis Tribunus major dicebatur, armorum scientiâ, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Qui reliquos regebant cohortes minores nuncupabantur.

Tribuni solicitudo per hanc laudatur industriam, cum miles veste nitidus, armis benè munitus & fulgens, exercitij usu & disciplinâ eruditus incedit.

Inde Centuriones & Decuriones. Centurio vero, si copia suppetat, eligendus est qui sit magnis viribus & procerâ staturâ, qui dimicare gladio noverit, qui omnem artem didicerit armaturæ: vigilans sobrius, agilis, magis ad facienda ea quæ imperantur, quam ad loquendum paratus, qui cōtubernales suos ad disciplinam retineat, ad armorum exercitium cogat, ut benè vestiti & calceati sint, ut arma omnia defricentur & splendeant. Plurimum namq; terroris hostibus armorum splendor importat.

Decurio eligendus est imprimis habili corpore, ut loricatus & armis circumdatus omnibus, cum summâ admiratione

possit equum conscendere, equitare fortissimè, conto scienter uti, globos doctissimè mittere, turmales suos erudire ad omnia quæ equestris pugna deposcit, eosdem cogere loricas vel cataphractas, contos & cassides, frequenter tergere sanitaté & exercitationem tàm hominum, quam equorum curare.

De reliquo bellatorum cultu hîc annotandum censeo, quod ex libris veterum memoriarum A. Gellius refert Noct: Att. 5. lib. & cap. Ostendebat, inquit ibi, Annibali Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum Pop. Romano facturus comparaverat: convertebatq; exercitum insignibus argenteis & aureis florentem. Inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumq; frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Atq; ibi Rex contemplatione tanti, ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspicit, & putasne ait, conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia? Tum Pœnus illudens ignaviam imbelliamq; militum ejus pretiosè armatorum, satis planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avarissimi sunt. Rex de numero exercitus sui ac de

æqui-

æquiparatione æstimandâ quæsierat, respondit Annibal de prædâ. Sic nec Darium pompa contra Macedones tutata est; & patrum nostrorum memoria Caroli Burgundi inæstimabiles divitiæ Helvetijs prædæ fuerunt. Legio vero bene instituta est tanquam civitas munitissima.

Ad faciendam expeditionem ab armorum Magistris exercitui modus quæritur, cum pluribus casibus subjaceat amplior multitudo.

Romanis tanta erat exercitatio, tanta armorum fiducia ut cuivis bello duæ legiones crederentur posse sufficere, additis auxilijs sociorum.

In omni expeditione unum est & maximum consilium, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Nam ferro sævior fames est.

Pabula igitur frumentum cæteræq; annonariæ species, ut vini, olei, aceti, salis carnisq; salitæ copia, quia in necessitate remedium non habent, ante cõgerantur, in locis munitissimis condantur, in horreis convenientibus asserventur, horrea fideliter custodiantur, omnia moderatè erogentur. Nunquam enim periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam ser-

vare

vare cœperunt. Hyeme etiam ligni, æstate aquarum eſt vitanda difficultas.

Cum vero quævis hæ ſpecies â provincialibus ſumantur, cavendum eſt, ne adverſariorum dolo atq; perjurijs incauta eorum decipiatur ſimplicitas. Frequentius enim conventionum pacisq; ſimulatio credulis quam arma nocuerunt.

Inter præcipua quoq; convenit Ducem providere ſive in caſtris, ſive in civitate conſiſtat, ut animalium paſcua, ſubvectio frumenti, cæterarumq; ſpecierum, aquatio, lignatio, pabulatio ſecura ab hoſtium reddatur incurſu. Quod aliter non poteſt evenire, niſi per loca idonea, quâ noſtrorum ambulat commeatus, præſidia diſponantur, ſive illæ civitates ſint, ſive caſtella murata. Quod ſi non reperitur antiqua munitio, oportunis locis circumdata majoribus foſſis, tumultuaria caſtella firmantur. Intra quæ aliquanti pedites equitesq; degentes, tutum iter commeantibus præſtant. Difficile enim hoſtis ad ea loca audet accedere, in quibus & â fronte & â tergo novit adverſarios commorari.

Proficiſcenti exercitui vel montes, vel anguſtiæ, vel flumina, vel paludes iter morari & impedire ſolent. Omni igitur curâ omniq;

omniq; diligentiâ providere debet Dux ne in hiſce difficultatibus patiatur incurſum, vel facilè ac ſine damno repellat illatum.

Caput hujus cautelæ eſt, ut per quæ loca vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus ignoretur. Tutiſſimum namq; in expeditionibus creditur facienda ab hoſtibus neſciri, & ſi caſu aliquo iſta reſciverint, omnia immutari. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita Ducis conſilium ſemper occultum eſſet.

Ad hanc rem benè curandam primò expediunt exploratores proprij. Hi fideliſſimi argutiſſimiq; cum equis probatiſſimis mittantur, noctu potius quàm interdiu. Sui namq; quodammodo ipſe proditor invenitur, cujus ſpeculator ab adverſarijs fuerit deprehenſus.

Deinde ductores ex ipsâ regione præcepti. Hi ſapientes & exercitati quærantur. Imperita enim ruſticitas plura promittit & credit ſe ſcire quæ neſcit. Præcepti cuſtodiæ mancipentur, additâ pœna oſtentatione vel prœmij. Tunc maximè enim erũt utiles, cum intelligent, nec fugiendi ſibi

copi-

copiam supereſſe, & fidei prœmium, perfidiæ parata eſſe ſupplicia.

Tum itineraria, in quibus locorum intervalla paſſuum numero, viarum etiam qualitates, compendia & diverticula ad fidem non ſolum deſcripta & annotata, verum etiam depicta ſint, ut Dux ſolertiſſimus tàm mentis conſilio, quàm aſpectu oculorum viam profecturis eligat.

Multum etiam proderit adverſariorum incuria & diſſimulatio. Illa ſi nobis occaſionem dederit non oportet omitti, ſed explorare ſolicitè, quid hoſtes in præſenti, vel in futurum moliantur, paratisq; equitibus ac levi armaturâ ambulantes eos, vel pabula victumq; quærentes, improviſo terrore decipere.

Ad pontes tumultuario opere conſtruendos, ſi flumen altius occurrerit materiam præbent cupæ inanes, tùm ſcaphæ latiores, quæ tabulatis integuntur, trabibus, clavis funibusq; revinciuntur, quod ultimum genus lapidei arcus ſoliditatem præſtat in tempore.

Ut exercitus ad deſtinata perveniat commodeq; conſideat, & ſecuritatis ejusdem, & ſanitatis ratio habenda eſt.

Ad utrumq; obtinendum, ſi fortè cupis con-

conſidere, hæc facit regula generalis; quod nõ ſufficiat locum bonum legere, niſi talis ſit, ut alter eo non poſſit melior inveniri, ne utilior â nobis prætermiſſus, & ab adverſarijs occupatus portet incommodũ.

Speratam ſecuritatem, ſi ad ſtativa vel manſionem civitas murata nõ datur, caſtra præſtant & excubiæ. Caſtra autem quâ ratione veteribus formata munitaq; fuerint, legi poteſt per quinq; capita continua libro primo Autoris noſtri, vigeſimum ſequentia: nec non octavo tertij libri. Præſens enim materia non facilè inſtitutum noſtrum patitur, & de eadem moderni potiſſimùm conſulendi ſunt.

Nota tamen, cùm facilè ſit abſentibus adverſarijs caſtra munire, quod â Romanis, ſi hoſtis incumberet omnes equites & media pars peditum ordinarentur in acie, reliqui poſt ipſos ductâ foſsâ munirent caſtra. Foſſa illa ambitum caſtrorum complecti debebat, quatuor ad portas aditibus relictis, lata 12. pedes, & alta ſub lineâ, ſicut appellabant, 9. creſcebatq; â parte interiore per terram egeſtam 4. pedes, terra iſta ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus, ramiſque arborum firmata in aggerem erigebatur. Super quem figeban-

tur

tur ſudes ex fortiſſimis lignis quos milites portabant, atque ad ſimilitudinem muri & pinnæ, & propugnacula in illo componebantur. Poſt hoc à Centurionibus foſſa inſpecta decempedis menſurabatur, & vindicabatur in eos, qui negligentius fuiſſent operati.

Perſæ autem Romanos imitati ductis etiam foſſis caſtra conſtituebant. Sed quia arenoſa ibi ſunt prope omnia, ſaccos quos inanes ſecum portabant, ex pulverulenta quæ effodiebatur terrâ complebant, eorumq; cumulo aggerem faciebant. Sic Germanis carri in orbem connectebantur ad ſimilitudinem caſtrorum, ut ſecuras à ſuperventibus noctes exigerent.

Excubiæ, quas ſecuritatis ergo fieri diximus, hoc modo Romanis peragebantur. De ſingulis centurijs quaterni equites & quaterni pedites, excubitum noctibus faciebant. Et quia impoſſibile videbatur in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepſydram diviſæ erant vigiliæ, ut non amplius quàm tribus horis nocturnis neceſſe eſſet vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committebantur: & finitis horis à cornicine revocabantur. Idoneos

etiam

etiam tribuni & probatiſſimos eligebant, qui vigilias circumirent, & renunciarent, ſi qua emerſiſſet culpa, qui circuitores prius, poſt circitores appellati ſunt. Porro ſciendum eſt, equites extra vallum nocturnas excubias facere debere.

Sanitas exercitus cuſtoditur *locis*. veluti ne juxta morboſas paludes, vel in locis aridis moretur, ne autumnali vel æſtivo tempore diutius in ijsdem locis conſiſtat, cum ex confertâ multitudine & aquæ contagionem trahant & aër corrumpatur. *Aquis*: ne iſtis paludoſis & pernicioſis utatur. Malæ namq; potus aquæ veneno ſimilis peſtilentiam bibentibus generat. *Tempore*: ne vel medio Solis calore educantur milites & fatigatione itineris cōtrahant morbum: vel hyeme ſæviente iter per nives & pruinas noctibus faciant. Namq; nec ſanitati nec expeditioni idoneus miles eſt, qui algere compellitur. *Medicinâ*: hæc ad curā Tribunorum aliorumq; principaliū pertinet. Sed rei militaris periti, plus quotidiana armorum *exercitia* ad ſanitatem militum putaverunt prodeſſe quam medicos: quæ mentibus quoq; eorum ſanitatem conſervant. Cum facilius ſit ad virtutem novos inſtruere, quam revocare deſue-

ſuetos: & laudabiliores Duces habentur, quorum exercitus ad modeſtiam labor & uſus inſtituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam, ſuppliciorum formido compellit. Nemo etiam cogitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit. Miles autem qui otiosè & delicatè vixit, aſperitate laboris offenſus, quem in expeditione neceſſe eſt ſuſtinere, facillime in ſeditionem prorumpit, & cum prœlium formidet, armorumq; exercitia declinet ad audaciam præcipitatur, ut bellum quod metuit, poſcat.

Cæterum omnia antè cogitanda ſunt, antè tentanda, antè facienda, quàm ad ultimum veniatur abruptum. Boni enim Duces non aperto Marte prœlium, in quo commune eſt periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut quantos poſſint hoſtium interimant, certè vel terreant.

Præcipua quoq; res & utilitas Ducis eſt, ut adhibitis ex univerſo exercitu ſcientibus belli & ſapientibus viris, de ſuis & hoſtium copijs ſæpius tractet: utra pars pugnatorum vel numero, vel exercitatione, vel fortitudine præſtet, tanquam de civili cauſa inter partes dijudicaturus dignoſcat, omni, quæ plurimum nocet, adulatione ſum-

ſummotâ. Ipſi etiam quid ſentiant milites diligenter exploret, noverit ſe prœlium oportere differre, ſi exercitati bellatores dimicare metuant.

Sæpe equidem res in longum dilata vel penuriâ, vel pacis deſiderio animos hoſtium fregit, ut labore & tædio debilitati plurimi deſererent, aliquanti proderent, aliquanti ſeipſos traderent.

Porro inter hoſtes diſcordiarum ſerere cauſas ſapientis eſt Ducis. Nulla enim quamvis minima natio poteſt ab adverſarijs perdeleri, niſi proprijs ſimultatibus ſeipſa conſumpſerit. Civile nempe odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad utilitatem ſuæ defenſionis incautum.

Ipſe ſi exercitum turbulentum habuerit, â tribunis principibusq; per omnes Centurias qui ſint illi ſeditionum autores, non pro invidiâ ſuggerentium, ſed pro rerum veritate cognoſcat, eosq; prudentiori conſilio ſegregatos â reliquis, ad agendum aliquid, quod ipſis propè videatur optabile: aut ad caſtella urbesq; deputet muniendas, atq; ſervandas, tanta ſubtilitate, ut cum adijciuntur, videantur electi.

Nunquam enim ad contumaciam pari

consensu multitudo prorumpit, sed incitantur à paucis, qui vitiorum, scelerumq; impunitatem sperant, peccare cum plurimis.

Quod si fieri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est more majorum, in autores criminum vindicari: ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat.

Cum etiam animis penè omnium hominum hoc naturaliter eveniat, ut trepident cum ad conflictum venerint, frequenter exercitum suum locis tutioribus ordinet, undè & videre hostem, & agnoscere consuescat, & minoribus semper eum prœlijs imbuat. Nunquam etenim timentur, quæ ex usu sunt.

Milites igitur si audentes & paratos habuerit, si rebus omnibus viribusq; superior inventus fuerit, quod cautè consuluit, maturè exequatur, & opportunum sibi ne differat inire conflictum. In rebus namq; bellicis celeritas amplius solet prodesse quàm virtus, atq; in eventu aperti Martis victoriæ plenitudo consistit.

Manum verò conserturus primum auxilium ex loco captet, qui tantò utilior judicatur, quantò superior fuerit. Sciat contra quos globos hostium, quod genus mili-

militum poni oporteat. Nam occultâ ratione, imò penè divinâ, alij contra alios pugnant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur.

Oratione convenienti virtutem bellatoribus accendat, ostensâ inimicorum vel ignaviâ, vel errore, & mentes suorum in odium adversariorum irâ, indignatione, moveat. Aciem prior instruat: quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Instructus paratusq; ordinantem trepidumq; adversarium, quantum fieri potest præoccupet. Cum sit pars victoriæ inimicum turbare antequam dimices. Adversus præsentem, scientem videntemq; fortiter pugnet.

Si in prœlio quid adversi acciderit, non casum hunc ultimum putet, cogitet potius, eventus omnium prœliorum inter initia contra illos magis fuisse, quibus victoria debebatur; hanc sibi constantiâ vindicet.

Tandem sub eâ cautela confligat, ut si quid pro varietate bellorum vel conditionis humanæ secus acciderit, absq; gravi detrimento, vel montium altitudine, vel munitione post tergum relictâ liberet victos, colligat superstites, adhortationi-

bus congruis erigat: novos tunc delectus, nova auxilia quærat: captatis occasionibus in ipsos victores per occultas insidias impetus faciat, ut militi audacia reparetur. Ad eam rem opportunitas non deerit, cum pro felicitate superbius & incautius mentes efferantur humanæ.

Econtra si hostem potiorem senserit, certamen publicum devitet. Nam pauciores numero, & inferiores viribus, superventus & insidias facientes, sub bonis Ducibus sæpè victoriam reportaverunt.

Romani in pugnâ cum ingenti clamore, quem barritum vocabant, hostem adoriebantur. Hunc autor non prius attollendum suadet, quam acies utraq; se junxerit. Cum imperitorum vel ignavorum sit vociferari de longè, & hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit.

Lacedæmonij autem summi bellatores, non cornuum tubarumq; signis, sed tibiarum modulis in prœlijs usi sunt. Non ut excitarentur atq; evibrarentur militum animi: quod litui, & cornua moliuntur: sed contra ut moderatiores, modulatioresq; fierent: quod tibicinis numeris temperatur. Nihil adeò in congrediendis ho-

stibus

ſtibus, atq; in principijs prœliorum ad ſalutem, virtutemq; aptius rati: quam ſi permulcti ſonis mitioribus non immodicè ferocirent: quo etiã manifeſtior fieret exploratiorq́; militũ ſecuritas & alacritas. Nã diffidentiæ & timori cum ingreſſione hujusmodi minimè convenit: & mœſti & formidantes ab hâc tàm intrepidâ, ac tàm decora incedendi modulatione alieni ſunt.

Acies dicitur exercitus inſtructus: frons quæ adverſus hoſtem ſpectat: Ordines vel in directum per latera militum extenduntur, vel in latum per terga diſponuntur.

Ordinaturus aciem tria debet antè proſpicere, ſolem, pulverem, ventum. Nam Sol ante faciem eripit viſum, ventus contrarius tua inflectit & deprimit, hoſtium adjuvat tela. Pulvis â fronte cõgeſtus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo ordinantur acies, etiam imperiti vitare ſolent: ſed Duci provido cavendum eſt in futurum, ne poſt paululum accedente die noceat Solis mutata converſio, ne ventus adverſus horâ ſolita eo pugnante naſcatur.

Quamvis autem & reliqua acierum inſtruendarum præcepta hîc deſiderari cernam: quæ nimirum ſit ratio podismi, ſeu menſuræ ordinationis, vel quot pedes ſinguli

guli pugnatores occupare debeant: quam variæ ſint copiarum figuræ, dum modò in ovum, modò in rhombum, cuneum, forficem, ſerram, vel antiquis formatæ ſint, vel formentur modernis: verùntamen cum hæc ſcientia & proprium, & diligentem requirat tractatum, brevitate eam noſtrâ temerare, vel gnomis hiſce inſerere, incongruum putavi, cum melius tàm ex autore, quàm Æliano, potiſſimum autem ex alijs noſtrâ tempeſtate peritiſſimis armorum magiſtris peti poſſint. Adde, quod multa ibi incerta ſint, & ex ſolo Ducis arbitrio dependeant, quod optimus harum rerum magiſter, uſus docebit.

Primum tamen adjungimus, quod autor de ſubſidijs monet. Nempè ne omnis in aciem inſumatur exercitus, ſed ſuperflui quidam reſerventur, qui & poſt cornua, & poſt medios etiam parati ſint, ut ſicubi hoſtes vehementius inſiſtit, ne rumpatur acies, provolent ſubito & ſuppleant loca: additaq; virtute inimicorum audaciam frangant. Namq; ſi globus hoſtium ſeparatus, aut alam, aut aliam partem urgere cœperit, niſi ſuperflui ad manum ſint, qui contra hunc globum poſſint opponi, & Dux ſive pedites, ſive equites de acie tulerit,

lerit, dum alia vult defendere, alia periculosius denudabit.

Directa enim acies hoc solum agere debet, si potest, ut aciem hostium repellat & fundat: ex illâ vero ordinatâ si quædam transferuntur universa turbari necesse est.

Distincta deinde Ducum trium principalium in acie loca, quæ autor his verbis explanat. Dux qui præcipuam sustinet potestatem, inter equites & pedites, in parte dextrâ stare consuevit. Hic enim locus est, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus est, liberq; procursus. Ideo autem inter utrosq; consistit, ut & consilio regere, & autoritate tàm equites, quàm pedites ad pugnam possit hortari. Hic de equitibus supernumerarijs, mixtis peditibus expeditis, adversariorum sinistrum cornu quod contra ipsum stat, circuire, & â tergo semper urgere debet.

Secundus Dux in mediâ acie ponitur peditum, qui eam sustentet & firmet. Hic fortissimos pedites, & benè armatos de illis superfluis secum habere debet, de quibus aut ipse cuneum faciat, & aciem hostium rumpat: aut si adversarij cuneum fecerint, ipse forficem faciat, ut cuneo illi possit occurrere.

In ſiniſtrâ parte exercitus, tertius eſſe Dux debet, ſatis bellicoſus & providus, quia ſiniſtra pars difficilior eſt, & velut manca in acie conſiſtit. Ideo bonos equites ſupernumerarios & velociſſimos pedites habere debet, de quibus ſiniſtrum cornu ſemper extendat, ne circumveniatur ab hoſtibus.

Jam de campo ad arces urbesq; tranſeamus: ſæpe etenim munita civitas vel fax gliſcentis belli, vel reſiduum & remora patrati fuit.

Urbes atq; caſtella aut *naturâ* muniuntur, ut loco edito, & abrupto, circumfuſo mari ſive paludibus, vel fluminibus: aut *manu*, veluti foſſis, muris, vallo, terreisq; propugnaculis, quorum exſtruendorum ratio, in ſummam artis abſolutiſſimæ à mechanicis modernis perducta eſt.

Muri autem ambitum veteres non directum, ſed ſinuoſis anfractibus ducebant, ne ad ictus arietum eſſet expoſitus, crebrioresq; turres in ipſis angulis edebant propterea: quia ſi quis ad murum tali ordinatione conſtructum vel ſcalas, vel machinas voluerit admovere, non ſolum à fronte, ſed etiam à lateribus, & propè à tergo veluti in ſinum circumcluſus opprime-

primeretur. Fossas præterea ante urbes latissimas, altissimasq; faciebant, ut nec facilè coæquari, nec repleri ab obsidentibus possent.

Interdum *utroq;* muniuntur: quod perfectissimum & maximè firmum habetur.

Expugnantur vero aut assultu aut obsidione. Assultuũ quidam sunt clandestini, qui astu potissimum peraguntur, explorata videlicet hostium consuetudine, & opportunitate insidiarum. Veluti si scias quibus horis adversarius â laboris intentione discedat, quibus reddatur incautior, tum si ipsius negligentia impunitate creverit, vel cibo, vel somno occupatum, vel otio, aut aliquâ necessitate dispersum secure invadas licet. Interdum inopina loci calamitas hostem invitavit, ut viam quam fortuna monstrabat, insisteret, & malum malo ingerens, firmissimis munimentis absq; labore potiretur.

Quidam sunt aperti. Hi mutuo fiunt utrinq; periculo, sed majore ut plurimum oppugnantium sanguine. Illi enim qui muros invadere cupiunt, terrifico apparatu expositis copijs, in spem deditionis formidinem geminant, tubarum strepitu hominumq; permixto. Tunc primo impe-

impetu ſtupentibus oppidanis, ſi diſcriminũ experimenta non norunt: quia timor magis frangit inſuetos: virtus eorum dedecore excitanda eſt. Ne videlicet hoſtem in vitam, aras laresq; inultum ſævire ſinant, ſed clades impendentes â muris domibusq; fortiter depellant: videant ne quid Reſp. detrimenti capiat, neu momentanea pericula declinando ſe & poſteros duriſſimæ ſervituti mancipent. Hiſce dictis ſi minus audientes fuerint, civitatem non tam capi, quam deſeri neceſſe eſt, & victoribus dominisq; non tàm dedi, quàm hoſtibus atq; inimiciſſimis per metũ prodi. Quod ſi â fidentibus, ſive militaribus viris repellatur prima congreſſio, ſtatim clauſis creſcit audacia, & jam non terrore, ſed viribus, & arte confligitur.

Poſthæc obſidio inchoatur, cujus duæ ſunt ſpecies. Una cum adverſarius opportunis locis præſidia ordinat & continuis inſultibus impugnat obſeſſos. Altera cum vel aquâ prohibet incluſos, vel deditionem ſperat â fame, quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim conſilio, ipſe otioſus ac tutus fatigat inimicum.

Ad quos caſus, quamvis levi ſuſpicione pulſati, quicquid in pecore, vel qvacunq;

cunq; fruge vinoq; hoſtis inferens bellũ ad victum ſuum poterit occupare, non ſolum admonitis per edicta poſſeſſoribus, ſed etiam coactis per electos perſcrutatores in civitatem noſtram conferamus. Imò provinciales urgeamus, ut ante irruptionem ſeq; & ſua mœnibus condant. Tum ad omnia rei œconomicæ animum vertamus præcepta: veluti ne aves nobis cohortales, propter ægrotantes deſint, nec hortorum cura in viridarijs domorum vel areis intermittatur. Plura de his vide ſupra, Aphoriſmo Pabula igitur &c.

Reparatio etiam murorum, tormentorumq; omnium, antè curanda eſt, ſulphuris globorumq; copia comparanda: bitumen, pix liquida ad exurendas hoſtium machinas præparanda: ad arma facienda ferrum utriusq; temperaturæ & carbones in conditis ſervandi. De ferro quidem hoc autor inculcat more Romanorum, qui non tantum ſervando in conditis publicis, ferro ſe diligentes præbuerunt: verum ſummâ quoq; præcaverunt vigilantia, ne ad hoſtes ſuos arma, aut ferrum per mercatores transferretur. Quod docemur ex conſtitutione Imp. Martiani l. ult. C. quæ res exportari non debent. De tem-

temperaturâ autem vide Plinium lib. 34. & potissimum consistit in differenti affusione aquæ cum candens igne ferrum extrahitur. Saxis porrò rotundis, quæ pro soliditate graviora de fluvijs, & aptiora mittentibus colliguntur, & turres & mœnia replenda sunt. Reliquas autem priscorum seu machinas, seu tormenta ab utraq; parte excogitata, â nostris antiquarijs indaganda & in scenam reducenda esse censeo: nos modernorum tormentorum genera paucissimis perstingemus.

Tormentorum, quæ nostra ætate in usu sunt, quædam majora sunt, quædam verò minora. Minora vel Equitum, vel peditum sunt propria. Equitum brevia sunt, & unâ manu reguntur: Peditum trifariã dividuntur: aut enim sunt ad silicem, aut ad restim, aut ad uncum. Hæc sclopeti nomine antè indigetavimus.

Majorum primum genus est, quos Falcones appellamus: horum minimi ejaculantur globos unius libræ usq; ad binas: maximi vero sex librarum & ultra: obtinent in longitudine 28. diametros tubi, usq; ad 37. Sunt deinde Colubri: mediocres portant globum 20. librarum circiter: longi 26. librarum spurij vero $7\frac{1}{2}$. Catapul-

tapultæ murales ejaculantur globos 20. librarum usq; ad 100. Ille quæ dicuntur duplices ad 120. libras.

Bombardarum (ſic namq; â ſonitu appellantur) inventio dicitur eſſe Germanica, pulvere tormentario per monachum, quem Chronologi appellant Bertholdum Nigrum, circa tempora Imp. Wenceslai primum confecto.

Multi hoc inventum diabolicum dixere, ut cum æternus iſte hoſtis per miniſtros monachos inſanis ſuperſtitionibus mentes hominum jam diu faſcinaſſet, ijsdem autoribus etiam in corpora ſæviret, & in mutuam perniciem horribili furore homines hæc monſtra fingere, ijsdemq; uti doceret. Uerius namq; de his dici poteſt, ab autore de priſcorum laudatum onagris, quod ingeſtum pondus fulminis more contorqueant, cum violentiæ & flamma, & fragor addatur.

Pulvis tormentarius ex tribus partibus conſiſtit: ſpiritu, animâ & corpore. Spiritus eſt Sal nitrum: anima ſulfur: corpus autem carbo. Hôc non ſolum tormenta, ſed etiam cuniculi inſtruuntur, & tàm tellurem, quàm cum fundamentis ædificia invertit.

Multa

Multa porro tàm obſidentium quam obſeſſorum ſtrategemata ſunt, quæ diligẽter collegit Sextus Julius Frontinus lib. 3. ſtrateg. & plura aſſidua hiſtoriarum lectio ſuppeditabit. Manum igitur tabulæ hîc detrahendam cenſeo.

Terreſtris prœlij rationibus abſolutis navalis belli reſidua eſt portio: hoc claſſibus conficitur.

In rei autem maritimæ Præfecto ultra cæteras imperatorias virtutes & alia quædam requiruntur, quæ res nautica propriè ſibi vindicat.

Primum eſt diligentia in navibus fabricandis, videlicet ut materia ad illas idonea & cædatur, & eligatur. Cum enim in domibus ſtruendis arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tantò magis in fabricandis navibus diligenter cuncta quærenda ſunt, quantò magis periculum eſt, navem eſſe vitioſam quàm domum.

Menſes autem per quos utiliter cæduntur trabes ſunt illi, qui ſolſtitium æſtivum inſequntur, ut Julius, Auguſtus & ſequentes usq; ad Calendas Januarias. His namq; menſibus areſcente humore, ſicciora & ideò fortiora ſunt ligna. Non per integros tamen hoſce menſes ſed à decimâ

Lunâ

Lunâ usq; ad vigesimam secundam, ex quibus Liburnæ & naves quælibet contexendæ sunt, arbores præcidantur.

His enim tantum octo diebus cæsa materies immunis servatur â carie: quod ars ipsa & omnium architectorum quotidianus usus edocuit, & contemplatione ipsius religionis in Paschate agnoscim9, quod propter mysterium æternitatis, his tantum diebus placuit celebrari.

Cognitio deinde Philosophiæ naturalis: ut ventorum tempestatumq; rationem cœlesti ratione colligere, signa etiam eorundem solerter prænoscere possit. Nam pro acerbitate pelagi sicut providos cautela tutatur, ita negligentes exstinguit incuria, & difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationem inspexit.

Non omni igitur tempore classis mari credenda est. Quamvis enim negociatorum nunquam cesset industria, major tamen adhibenda cautela est cum exercitus navigat cum Liburnis, quâm cum privatorum mercium festinat audacia.

Asseverante autore nostro, post natalem navigationis anniversarium, qui in Idus Martias incidebat & solenni olim certamine, publicoq; spectaculo multarum

gentium celebrabatur, plurimorum siderum, ipsiusq; temporis ratione usq; in Idus Majas periculosè maria tentantur. Post ortum autem Plejadum usq; ad ortum Arcturi, signi istius vehementissimi, â die 6. Kal. Jun. usq; ad diem 18. Cal. Octobr. secura est navigatio, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Post hoc tempus usq; ad 3. Id. Novemb. incerta est, & periculo proprior: quia 8. Cal. Octob. æquinoctialis evenit tempestas: circa Non. vero Octob. Hœdi pluviales: 5. Id. ejusdem Taurus: â Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur 3. Id. Novembr. usq; in diem 6. Id. Mart. maria claudi debent. Interluniorum etiam dies tempestatibus plenos, & navigantibus quàm maxime metuendos, non solum peritiæ ratio, sed etiam vulgi usus intelligit.

Verùm omnia enumerare nominatim longum est; cum autores plurimi in Calendarijs suis, non solum mensium, sed etiam dierum rationem exprimant, transitus quoq; siderum, quos Planetas vocant, diligenter notent. Qui cum præscripto cursu dierum arbitrio Creatoris vel susci-

piunt

piunt signa, vel deserunt, frequenter assolent serena turbare.

Ut ut autem certi dies autorum attestatione signentur tamen quia diversis casibus aliquando mutantur, & quod confitendum est cœlestes causas humana conditio ad plenum nosse prohibetur; ideò nauticæ observationis curam trifariam dividunt. Aut enim circa diem statum, aut antè, vel postea tempestates fieri compertum est. Unde præcedentes προχειμάσιν, nascentes die solenni ἐπιχειμάσιν, subsequētes μεταχειμάσιν, Græco vocabulo nuncupaverunt.

Signa tempestatum quæ vel in Lunæ Solisq; orbibus deprehenduntur, vel ex aëre, mari, nubium specie & magnitudine: ab avibus etiam & piscibus sumuntur, vide penes autorem nostrum, lib. 4. cap. 41. item Vitruvium lib. 9. cap. 4. & alios plures. Hæc nautarum quoq; vulgus se scire profitetur, sed credo eatenus, quatenus eos imperitiæ magis usus instruit, quam altior doctrina firmavit.

Elementum pelagi præter ventorum flatum suo quoq; spiramine & motu vegetatur. Nam certis horis ultrò citroq; procurrit, æstu illo quod rheuma vocant:

 cujus

cujus etiam ambiguitas curſum navium ſecunda adjuvat, retardat adverſa: quæ dimicaturo magna ſunt cautione vitanda. Et quoniam in diverſis regionibus, diverſo Lunæ creſcentis, minuentisq; ſtatu, certis horis iſta variantur: ideo prœlium navale geſturus, conſuetudinem pelagi vel loci, ante congreſſum debet agnoſcere.

Veteres juxta poſitionem cardinum tantùm quatuor ventos, â ſingulis cœli partibus flare credebant: poſterior ætas hos duodecim comprehendit: Ἀπηλιώτην *Ooſt* ſeu ſubſolanum à verno ſolſtitio, ubi eſt cardo orientalis: ab hujus dextrâ καικίαν *Oſt NordOoſt*, â ſiniſtra Εὖρον *Oſt SuydOoſt*, ſeu vulturnum. A cardine meridiano νότον, *Suyd*, ſive auſtrum: â dextrâ hujus λευκονότον, *Suyd S. Ooſt*, à ſiniſtra λιβονότον, *Suyd S. VVeſt*, ſeu corum. A cardine Occidentali ζέφυρον, *VVeſt*, ſive ſubveſpertinum: â dextrâ hujus τὸν λιπὰ *VVeſt S. VVeſt* ſeu aphricum, â ſiniſtra τὸν ἰάπυγα *VVeſt N. VVeſt*, ſive favonium. A Septentrionali cardine ἀπαρκτίαν, *Noord* ſive Septentrionem: â dextrâ hujus Θρασκίαν, *Noord N. VVeſt*, ſeu circium, â ſiniſtrâ βορέαν *Noord N. Ooſt*, ſive aquilonem. Recentiores ſingulos cardines in ventos octo diſpertiti ſunt, quorum

rum nomina à tabulis hydrographicis pe-
ti possunt.

Hi venti sæpè singuli, interdum duo, magnis autem tempestatibus etiam tres pariter flare consueverunt: eorumq; flatu pro natura temporum vel locorum, ex procellis serenitas redditur, & rursus in procellas serena mutantur.

Posthæc ab Admirallio seu Thalassiarcho sollicitudo requiritur in navarchis, gubernatoribus ministerijs nauticis, remigibusq; conquirendis. In navarchis quidem diligentia, in gubernatoribus peritia eligitur. Solertia namq; gubernatorum est loca in quibus navigatur, portusq; cognoscere, ut infesta prominentibus, vel latentibus scopulis, vadosa ac sicca vitentur. Tantò enim securitas major erit, quanto mare altius fuerit.

In remigibus robur, viresq; spectantur: propterea, quia navalis pugna tranquillo libentius committitur mari, liburnarũq; moles non ventorum flatibus, sed remorum pulsu adversarios percutit rostris, eorumq; rursum impetus vitat. In quo opere lacerti remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam præstat.

Navium plures sunt species: sed in duo

hæc genera ſumma diducuntur. Quædam enim ſunt velivolæ, ſeu velis per undas feruntur, quædam ſunt remigio inſtructæ & remis impelluntur.

Partes navium ſunt carina ſeu fundamentum & ima trabs navis, quam Batavi ſummi nautæ *Kiel* vocant: tum latera, prora, puppis, clavus ſive gubernaculum, fori ſeu ſuprema iſta tabulata, per quæ nautæ tranſcurrunt, mali, antennæ, alveus, ſentina, tranſtra, ſeu remigum ſedilia, & ſcalmus, circa quem alligantur remi, unde venit interſcalmium, quod remorum eſt inter ſe diſtantia. His tanquam pinnæ navis adduntur remi.

Tum anchora, clavi & juncturæ ſimiles. De clavis autor teſtatur, quod æreis, quàm ferreis utilius naves configantur. Quamvis enim gravior videatur expenſa, tamen, quia amplius durat, lucrum affert. Cum ferreos clavos tempore & humore celeriter rubigo conſumat: ærei autem, etiam in fluctibus, propriam ſervent ſubſtantiam.

Vela deniq; & rudentes. Velum in navi majus Græcè ἀρτέμων dicitur, quæ vox extat apud Lucam in Actis, cap. penult. ad calcem: levato, inquit Evangeliſta artemo-

ne secundum auræ flatum tendebant ad littus. Quod nomen adhuc Venetijs retinere testis est V. Cl. Lazarus Baysius in luculento isto commentario super l. 2. D. de capt. & postliminio: ibiq; *Artimon* dici. Hujus pars acutior & inferior, quæ ad latus navis religatur, modoq; contrahitur, modò relaxatur pes tàm Græcis, quàm Latinis sonat. Meminit ejusdem Plutarchus περὶ πολυφιλίας cum refutat Euripidem, qui hujus pedis more amicitias habendas æstimavit. Ipsa *Plutarchi* verba recensita, operæ pretium datura opinor.

Non Euripidi, ait, credendum dicenti, nos mortales oportere mediocri amicitia esse contentos, nec sinere eam penetrare ad animi medullas, intimosq; mentis recessus: putareq; eam veluti mentis oblectamentum facilè dilui debere, adducereq; & remittere cum velis, ceu pedem navis, aptando intendendoq; amicitiam pro usus ratione. Quo etiam allusit Tullius De amicitiâ, cum inquit: quod quibusdam videatur fugiendas esse nimias amicitias, alienisq; nimis implicari, nimis molestum esse: esse verò commodissimũ, quàm laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas cum velis, vel remittas.

Minora δόλωνες Græco itidem vocabulo vocitantur, quod etiam nec Livium refugisse comperimus, ut 4. Decadis. lib. 6. ubi de prœlio navali Romanorum cum Polyxenida regis Antiochi, præfecto loquitur. Polyxenidas, ut virtute militum haud dubiè superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugere intendit. Velis autem primum inter mortales usum esse Æolum quendam Diodorus autor est, quem proterea gentiles, quod ventis illum imperitare crederent, divinis honoribus prosecuti sunt.

Naves velivolæ, vel cum Cicerone velivolantes aliæ sunt onerariæ, mercibus portandis destinatæ, aliæ bellicæ, quædam etiam lusoriæ. Hisce omnibus alterius curæ reservatis, de Liburnis seu navibus bellicis actuarijs pauca subjungemus.

Dicuntur verò Liburnæ à Liburnia, quæ Dalmatiæ pars est, & Jadertinæ civitati, *Zara* hodiè, subjacet, cujus exemplo Principes Romani classes fabricati sunt. Augusto enim dimicante Actiaco prœlio cum Liburnorum auxilijs præcipuè victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, Liburnorum naves cæteris esse aptiores.

Harum quasdam immensâ potius mole admirabiles, quàm bello utiles â priscis regibus ad potentiæ ostentationem constructas legimus. Sic Ptolemæi Philopatoris prætoria navis quadragenorum ad utrũq; latus ordinum fuisse perhibetur, duodenis terdenisq; in quolibet ordine remis. Ita ut mille in illa essent remi, ad remos autem singulos quaterni remiges residerent.

Hîc ab initio notandum naves antiquorum non â remorum sed ab ordinum in utrovis latere numero nomen sortitas esse. Ea ratione Persei Macedonis prætoria navis sedecim in quolibet latere ordinum, quam Paulus Æmylius capto rege Romam triumphans duxit sedeciremis appellatur. Similiter sex ingentes illæ Liburnæ, quæ in auspicatissimo & famigeratissimo Christianorum cum Turcis ad Echinadas prœlio frontem obtinuerunt, ita, ut classe Christianorum in tres acies divisâ, binæ ante singulas locarentur, nec parvi fuerunt ad victoriam momenti, Deciremes dicuntur: decem namq; erant ordinum, quinq; ad singulum ordinem remis.

Septiremis triginta quinq; remorum, his veteres in navalibus prœlijs vix adhibebant grandiores.

Quinqueremis triginta remorum circiter.

Quadriremis viginti octo, etiã ad triginta usq;. Triremes majores viginti quinq;: minores viginti. Hæ ultimæ dicuntur lembi, phaseli, celoces, pincæ, ut autor noster eas nominat Britannico vocabulo: Gallis hodiè *Fuste*, *Brigantin*. Illis adduntur Biremes sedecim remorum circiter *Fregate* Gallis: item *Fregaton* quod decem remorũ est. Addũtur tãdem & uniremes quinq; vel sex remorum sive transtrorum, quia singulorum transtrorum unus duntaxat potest esse remus. Gallis *Falouque & Faucon dumer*.

Minores hæ omnis generis, naves exploratoriæ sunt. Per has & superventus fieri, & commentus adversariorum navium aliquando intercipi solet, & speculandi studio adventus earum, vel consilium deprehendi. Adinstar enim terrestris prœlij in mari superventus fiunt, vel circa opportunas insularum angustias collocantur insidiæ, ut si longo remigio fatigatos hostium nautas deprehenderimus, si vento illos urgeri adverso, si pro rostris rheuma esse, si nihil suspicantes dormire, si stationem quam tenent, exitum non habere,

bere, inimicum imparatum facilius deleamus. Quandocunq; enim dimicandi optata venit occaſio, fortunæ beneficijs jungendæ ſunt manus, & ex opportunitate prœlium conſerendum.

Quod ſi cautela hoſtium, evitatis inſidijs, publico Marte confligat, tunc Liburnarum inſtruendæ ſunt acies, non directè ut in campo, ſed incurvæ ad ſimilitudinem Lunæ, ita ut productis cornibus acies media ſinuetur: ut ſi adverſarij perrumpere tentaverint, ipſa ordinatione circumdati deprimantur. In cornibus autem præcipuum robur & Liburnarum collocetur & militum. Præterea utile eſt, ut alto & libero mari tua ſemper claſſis utatur, inimicorum verò pellatur ad littus: qui pugnandi imperum perdunt, qui detruduntur in terras.

Terreſtre prœlium multa quidem armorum genera deſiderat, ſed navale certamen non ſolum plures armorum ſpecies, veluti bipennes & harpagines, qui plurimum ad victoriam prodeſſe ſolent, verum etiam ipſas machinas & tormenta flagitat, tanquam in muris dimicetur & turribus. Quid enim crudelius congreſſione navali? Ibi ferro alij interimuntur,

alij

alij saxo, alij ardere coguntur in fluctibus, alij aquis hauriuntur. Inter tanta tamen mortium genera acerbissimus casus est, quod absumenda piscibus insepulta sunt corpora.

Qua verò non clade, quo non malorum genere ubiq; bellum abundat: Eamq; ob causam omnium ætatum sapientes viri serio admonent, diligenter esse providendum, atq; omni curâ & solicitudine perpendendum, an bellum necessarium, purum piumq; geramus, ne vel nostræ aliquid in eo subsit culpæ, vel omnis causa laboret. Hæc enim si injusta fuerit, nec fas à partibus nostris, nec sortem stare credamus: eâ autem si fuerimus potiores tùm demum de fortuna certi cum Fœciali Romanorum hastas illas & præustas, & sanguineas in hostis injusti nec jus persolventis fines audacter projiciamus.

Prosperè finito conflictu & præmia victorem & præda manet. Præda antiquitus vel Deo vota est, & sacris literis ad hanc rem, & Romanâ historiâ testibus luculentis: vel per manubias in ærarium delata (manubiæ pecuniæ sunt ex venditione prædæ collectæ) vel concessa militibus.

Supra casu quodam omissa est ratio ducendorum impedimentorum. Cum verò

inter impedimenta militaria, prædamq; neceſſitudo ſit, non abſurdè illam hîc interſeri poſſe confido. Si igitur impedimentis, vel prædâ exercitus onuſtus eſt, vaſis conclamatis primum equites iter arripiant & quædam pars peditum, poſtea calones, quos etiam lixas & galearios nominant, cum vehiculis & impedimentis in medio collocentur, ita ut aliquo laxamento à pugnatoribus diviſi ſint, & expedita pars peditum equitumq; pari intervallo ſubſequatur: latera etiam par armatorum, ſimiliter, ſi fieri poteſt, claudat manus.

Nam hoc pacto inſidiatores nec tranverſos incurſare, nec vel â fronte, vel tergo ſuperventus inferre poſſunt. Antiqui autem ut tàm ſecuritati, quam decori conſulerent, ex ipſis calonibus idoneos ac peritos uſu legebant, quos non amplius quàm ducentis alijs præficerent, hisq; vexilla dabant, ut ſcirent, ad quæ ſigna deberent impedimenta colligere: ne videlicet diſperſi longius aut conglobati amplius quàm expedit, aut ſuos impedirent, aut prodeſſent hoſtibus.

Quamvis autem nec ſtipendio miles, nec prædâ defraudandus ſit, non ultra ta-

men hosce limites licentiæ illi, ad furta rapinasq; sunt relaxandæ habenæ, sed ad salubrem priscamq; revocandus disciplinam. Severitatis quidem Romanæ egregium nobis exhibet specimen jusjurandum illud, in quod tribuni milites adigere solebant, cum scriberentur cujus apud A. Gellium meminit Cincius lib. 5. de re militari in hæc verba: *In magistratu COSS. in exercitu decemq; millia passuum propè furtum non facies, dolo malo, solus, neq; cum pluribus, pluris nummi argentei, in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve, quod tuum non erit: quod pluris nummi argentei erit: uti tu ad COSS. proferas, aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris sustulerisve dolo malo: aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes, uti quod rectè factum esse voles.* Militibus igitur scriptis ob delictum perpetratum dies præfiniebatur, quo die adessent, & ut citati Cos. responderent. Miles cum die, qui prædictus est, aberat, neq; excusatus erat, militiæ infrequens dabatur.

Tria olim genera militiæ fuerunt. *Sacramentum*, quæ legitima erat militia, cum singuli milites jurabant. Tumultus, de quo

quo Cicero in octavâ Antoniana: bellum sine tumultu esse potest, tumultus sine bello esse non potest. Itaq; majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ vicinus, præterea nullum tumultum nominabant, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, unde etiam nomen ductum est tumultus. Et quoniam ibi singulos interrogare non vacabat, qui convenerant simul jurabant, & dicebatur ista militia *conjuratio*. Qui vero ducturus erat exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum quod pedites evocabat, & unum cæruleum quod erat equitum (nam cæruleus color est maris, à cujus fictitio deo gentiles putabant equum inventum) dicebat: Qui Remp. vult salvam esse me sequatur. Erat & *evocatio*, cum ad diversa loca diversi cogebantur exercitus. Budæus in l. 1. § eum tamen D. depositi ex Servio & Cicerone.

Inter ignominias militares quibus milites coërcebantur, fuit hæc quoq; antiquitus animadversio, jubere ignominiæ causâ militi venam solvi, & sanguinem dimitti; quod A. Gellius, lib. 10. cap. 8. factum

factum primitus esse opinatur, in militibus stupentis animi atq; à naturali habitu declinantis, ut non tàm pœna, quam medicina videretur. Postea tamen ob pleraq; alia delicta idem factitatum est per consuetudinem, quia minus sani viderentur omnes, qui delinquerent.

Præmia militaria vel Ducum sunt propria: ut *Supplicationes*, quæ absentibus re benè gestâ decernebantur ut apertis delubris inter publicam lætitiam vota pro ipsorum salute ab omnibus conciperentur. Hostibus verò devictis cum exercitu incolumi redeuntes & *ovatio* & *triumphus* manebat; quorum magnificentiam nostri non capiunt Aphorismi.

Vel militibus cum Duce communia, ut *statua* & *corona*. Sic Horatio Cocliti fortissimo illi fortunæ Romanæ contra Porsennam Clusij regem munimento statua in Comitio posita fuit, & Chlœliæ, tanquam nova in fœminâ virtus statuâ equestri donata. Coronæ multifariæ sunt, quarum quæ nobilissimæ sunt, has fermè esse accepimus: *triumphalem* de lauro: *obsidionalem* de gramine: civicam de folijs querneis, *muralem* ad similitudinem pinnarum: *castrensem* cum vallorum insigni: *na-*

valem

valem in quâ roſtrorum erant ſimulacra.

Quæ militum propria erant præmia, hoc ritu diſtribuebantur. Imperatores victoriâ partâ ſuggeſtum ſeu tribunal aſcendentes pro concione milites laudabant & gratias agebant, ſi qua etiam ſingularis quorundam in prœlio virtus eminuerat, hos nominatim deprædicabant: cum laudibus non minus quàm præmijs animi militum gaudeant. Hi poſtea donabantur vel torquibus, vel armillis, phaleris, haſtis, veſtibus, adoreo ſeu farre, ære, argento facto ſignatoq; Interdum in agrorum poſſeſſionem milites mittebantur: Sic Mutij, â clade dextræ manus Scævolæ dicti, qui & facere, & pati fortia Romanum eſſe putavit, ager: dicti quoq; Coclitis, cum ſtatuâ agri quantum uno die circumaravit, præmium fuit.

Hæc vita, hi ſanctiſſimi mores, juſtitiâ domi militiæq; cuſtoditâ Romanis & pepererũt imperium & auxerunt, hi Romam bonis exemplis adeò divitem, hi fortiſſimorum eandem virorum ad miraculum uſq; fœcundam reddiderunt, tot Deciorũ Fabiorum Scipionumq; fecerunt nutricem. Cujus enim rei in civitate præmium eſt, ea maximis ſemper auctibus creſcit,

ſcit, & virtute honoratâ, omnes ad publica decora excitantur.

Sequuntur regulæ bellorum generales ab ipſo autore collectæ, quæ priorum quandam exhibebunt ἀνακεφαλαίωσιν.

In omnibus prœlijs expeditionis conditio talis eſt, ut quod tibi prodeſt, adverſario noceat: quod illum juvat, tibi ſemper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitrium aliquid facere aut diſſimulare debemus, ſed id ſolum agere, quod nobis utile judicamus. Contra te enim eſſe incipis, ſi imiteris quod fecit ille pro ſe: & rurſus quicquid pro tua parte tentaris, contra illum erit, ſi voluerit imitari.

Nunquam miles in aciem producendus eſt, cujus antea experimenta non ceperis.

Aut inopiâ, aut ſuperventibus, aut terrore melius eſt hoſtem domare, quàm prœlio: in quo amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quam virtus.

Nulla conſilia meliora ſunt, quàm illa, quæ ignoraverit hoſtis antequam facias.

Occaſio in bello amplius ſolet juvare, quam virtus.

In

In ſolicitandis ſuſcipiendisq; hoſtibus, ſi cum fide veniant, magna fiducia eſt: quia adverſarium amplius transfugæ frangunt, quàm perempti.

Melius eſt poſt aciem plura ſervare pręſidia, quàm latius militem ſpargere.

Difficilè vincitur, qui verè poteſt de ſuis & de adverſariorum copijs judicare.

Amplius juvat virtus, quàm multitudo.

Amplius prodeſt locus ſæpè quàm virtꝰ.

Paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria.

Exercitus labore proficit, otio conſeneſcit.

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, niſi eum videris ſperare victoriam.

Subita conterrent hoſtes, uſitata viléſcunt.

Qui diſperſis ſuis inconſultè ſequitur, quam ipſe acceperat, adverſario vult dare victoriam.

Qui frumentum neceſſariumq; commeatum non præparat: vincitur ſine ferro.

Qui dimicaturus pauciores infirmioresq; milites habere ſe novit, ex uno la-

 tere,

tere, aut montem, aut civitatem, aut mare, aut fluvium, aut aliud quoddam subsidium habere debet.

Qui confidit equitatu, aptiora loca quærat equitibus, & rem magis per equites gerat: eadem ratio est in pedestribus copijs.

Non consilia Ducis judicio exercitus, sed exercitus providentiâ Ducis regendus est.

Cum consilium tuum cognoveris adversarijs proditum, dispositionem mutatare te convenit.

Quod fieri debeat tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum paucissimis vel potius ipse tecum.

Boni Duces publico certamine nunquam nisi ex occasione, aut nimiâ necessitate confligunt.

Magna dispositio, hostem magis fame urgere, quam ferro.

Bellum pace inhonestâ & fraudulenta melius est.

In pace belli agitanda sunt consilia, si rem formidolosi vicini, plus quàm satis tutum est crescere videmus.

Antequam sunt declarati hostes, cum vicinis

vicinis dissimulare debemus, quamvis sciamus eos non magnopere rebus nostris favere.

Res privatæ semper offecere, officientq; publicis consilijs.

Excellentibus ingenijs citius deerit ars quâ civem regant, quam quâ hostem superent.

Fictiones in bello utilissimæ sunt, ut fictio illa Tullij Hostilij cum Albani acie excederent.

Corpus Ducis periculis, animus disciplinis exercendus est.

Morti decus publica est mœstitia. Sic matronæ Romanæ L. Brutum primum consulem ut parentem annum luxere.

Odium certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, sed non ante invisum esse desinit, quam esse desijt.

Nullum habentibus statum, quilibet Dux est idoneus, cum fortuna non electionem, sed perfugium ostendit, exitialemq; tempestatem fugientibus statio pro portu est.

Hostis devictus nunquam in desperationem conijciendus, cum libenter com-

mori cupiat, qui ſcit ſe moriturum, ſed ſecundum Scipionem, via, quâ fugere poſſit, ipſi munienda eſt.

Exercitus contemplati frequentiam ſuam plerũq; â diſciplinâ deſciſcunt & quod ſe cogere poſſe putant, rogare nõ ſuſtinẽt.

Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil alijs remittere: & invidiam rerum non ad cauſam, ſed ad voluntatem perſonasq; dirigere.

Cum abſcedit metus, erumpit voluntas.

Nemo celerius opprimitur, quàm qui nil timet, & frequentiſſimum initium eſt calamitatis ſecuritas.

Sæpe fata conſilijs prævalent, & plerunq; qui fortunam mutaturus eſt conſilia prius corrumpit efficitq; quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.

Intereſt Reip. quod uſu neceſſarium & dignitate eminere, utilitatemq; autoritate muniri.

Milites timor & pœna in ſedibus corrigunt: in expeditionibus, ſpes & præmia faciunt meliores.

De equitatu ſunt multa præcepta, ſed
cum

cum hæc pars militiæ uſu exercitij, armorum genere, equorum nobilitate profecerit, ex veterum libris nihil colligendum arbitror, cum præſens noſtrorum doctrina ſufficiat.

Bellum gerimus ut pace fruamur. Sic civilia Romanorum bella Pompeiorum, Lepidi Antonijq; armis geſta, viceſimo tandem anno, pace domi foriſq; partâ, per Auguſtum finita eſſe Paterculus memorat: ſic per bellicos ſudores, & noſtris tandem revocabitur terris *pax*, & feſſus armorum hoſtilium ſopietur furor, ut ſubactâ demum ambitionis, avaritiæ latrociniorumq; licentiâ, Sanctis reſtituatur vis legibus, judicijs ſit autoritas: ut redeat cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus & certa cuiq; rerum ſuarum poſſeſſio. Eò videlicet per tot lachrymoſos bellorum tenditur caſus: hoc volunt claræ fortiſſimorum virorum pro patriâ oppetitæ mortes, hoc ſperamus ſuperſtites, hoc ſummum omnium exercituum Dictatorem precamur DEUM.

αὐτῷ δόξα.

Erra-

Errata quæ supersunt.

In Epistolâ. *Subtanea lege,* Subitanea. *Aphorismo Romani armorum : unicas lege,* uncias. *Aphorismis duobus seqq. evencunt,* eveniunt, *attributas* attributus. *Aphor.* Peritia *autem literarum : justituti lege,* instituti. *Aphor : Vel sunt munifices : demendari pro,* demandari. *Aphor : Deinde ductores pœnâ lege,* pœnæ. *Aphor. Nota tamen : quos lege* quas. *Aphor. Ipse si exercitum : adijciuntur lege,* abijciuntur. *Plura si occurrerint Lector benevolus ipse corrigat.*

FINIS.





